

53. **Maxillaria** (Caulescentes ebulbes) **vaginalis**: caule erecto multivaginato, vaginis triangulis acutis ancipitibus, folio evoluto terminali uno oblongo acuminato, pedunculis ex vaginis inferioribus, bracteis triangulis carinatis magnis, mento floris elongati subnullo, sepalis ligulatis acutis, tepalis subaequalibus minoribus angustioribus, labello a basi angusta paulo dilatato, antice trifido, laciniis lateralibus obtusangulis productis, lacinia media cuneato ovata acuta, callo elongato ligulato medio constricto apice subacuto a regione antebasilari usque in basin laciniae anticae.

Planta peregrina, etiam inaudita, cui simile quid non novi, nisi cum *Aporo* seu *Lockhartia* juvat comparare eam. Caules praesto sunt duo spithamaei. Vaginae duodecim magnae nitidae brunneae dorso bene carinatae, superiores majores, latiores. Folium in vertice junius, adhuc complicatum, unum, oblongum, acuminatum telae tenuiculae, forsitan quod non evolutum. Pedunculi axillares in axillis vaginarum inferiorum, vagina scariosa triangula acuta inferiore, bractea ancipiti triangula ovarium bene excedente superiori. Sepala ultra pollicaria. Totus flos ob mentum minutum vix prominulum valde longus, nec latus. Columna clavata labello tertia brevior. Anthera dorso carinata. — Carinae squamarum ante apicem varie abruptae, nunc erosulae.

„Blüthe weiss. Lippe gelb.“

Desengaño in Costa Rica. 5. 8. 1857.